

De curialitate habes exemplum cuiusdam regis Angliae, qui cum esset in nemore cum militibus iuxta fontem et cenare deberet, allatum est ei vasculum vini, quod illi de Tuscia flasconem dicunt, Lombardi vero botacium. Cumque quaesisset, utrum plus de vino adesset, et responsum ei fuisset, quod non, dixit: "Sufficienter habemus pro omnibus". Et quod in vasculo erat effudit in fontem dicens: "Omnes communiter bibant". Et magna fuit curialitas reputata. Non sic faciunt illi praelati, qui coram subditis et cum eis in eadem domo comedentibus panem albissimum comedunt et optimum vinum et praecipuum bibunt et nichil dant penitus subditis suis; quae rusticitas maxima reputatur. Sic etiam de aliis comestibilibus faciunt.

(Salimbene de Adam, Cronica).

Rubrica de leprosis perquirendis

Item statuerunt et ordinaverunt pro sanitate civium et districtualium conservanda quod dominus potestas teneatur et debeat infra quindecim dies post principium sui regiminis, ad notificacionem et requisitionem cuiuscumque persone, inquirere et inquire facere in dicta civitate et villis districtualibus omnes leprosos et leprosas ibidem habitantes seu conversantes. Et si per phisicos seu cirogicos dicte civitatis vel aliquem ex eis super hoc expertum eorum iuramento iudicentur leprosi esse, teneatur et debeat prefatus dominus potestas ipsos leprosos seu leprosas a conversatione aliorum civium et districtualium facere separari, et ad hospitale Sancti Quirici pro leprosis ordinatum compellere permanere [...].

(Dagli Statuti del Comune di Ivrea, 1433)